D. T. O. M A.

DISPUTATIO MEDICA, DE FEBRE QUARTANA,

QUAM

FAVENTE DIVINA GRATIA,

AUTHORITATE ET CONSENSU NOBILIUM, STRENUORUM, MAGNIFICORUM, AC EXCELLENTISSIMORUM VIrorum, Magnifici Domini Rectoris, spectabilis D. Decani Inclytæ Facultatis Medicæ, Dominorum Seniorum, Sacræ Regiæ Majestatis Consiliariorum, adeoque totius Amplissimi Medicorum Collegij, in Antiquissima & Celeberrima Universitate Viennensi,

Pro supremo Licentiæ & Doctoratûs Gradu in eâdem Facultate Medicâ consequendo,

Publicè discutiendam proponit

M. JOANNES CONRADUS KREMER, Bingensis Rhenanus, Medicinæ Baccalaureus.

Die Mensis horis matutinis in Auditorio DD. Medicorum.

Excudebat Matthæus Cosmerovius, Aulæ Typogr: 1657.

*ILLUSTRISSIMO ET REVEREN-
DISSIMO, DOMINO DOMINO*

IOANNI,

EPISCOPO NEOSTADIENSI,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI,

Sac: Cæs: Maj: gloriosissimæ memoriæ

CONSILIARIO, &c.

DOMINO, ET PATRONO MEO GRATIOSISSIMO.

N*E terrearis* Illustrissime & Reverendissime Domine, *Dum morbum senibus exitialem* Tibi *offerendum duo. Morbus quantumvis lethalis corpori probè disposito atq; pacato nocere moraliter nequit. Corpus* Reverendissimæ Dominationis Tuæ, *vernali sudore quàm humillimè oblato pacatum reddere & Alexandrino quàm simillimum efficere conatus fui, ut inde morbum quemvis gravissimum quàm ipsam etiam Quartanam Autumnali hocce tempore periculosissimam fortius propulsare possis atq; eliminare. Ad hoc non tam mea me adduxit temeritas quàm nimia* Tua *erga Populares synceritas, non*

tam mea audacia quàm ſecura in TE *fiducia, & quod caput eſt, ſola* Tua *omnibus veneranda ultrò me coëgit* Authoritas. *Enim verò dum in arenam medicam pro ſupremâ Laureâ decertaturus ſolus deſcendo, fortiſsimos undiq; Athletas & Antagoniſtas in me irruentes video, quorum acutiſsimis argumentorum telis dum ſauciatus ſuccumbam,* Tuâ *interpoſitâ* Authoritate *glorioſius reſurgā. Ita enim & decebat & ipſa ratio ſuadebat non alıorſum niſi ad* Illuſtriſſimam Tuam Dominationem *eſſe confugiendum, Cujus Nutu cùm Neoſtadium meum medicum percurrere cœpi, Ejuſdem etiam* Authoritate & Gratiâ *ſtadio eidem colophonem imponere decrevi. Quare* Præſul Reverendiſſime *Clienti* Tuo *infimo vultum ſerenum oſtendere, manus auxiliatrices ultrà porrigere, Eundē ab adverſariorum telis defendere, atq; ad ſummum gradûs apicem perducere non dedigneris. Pro quâ* gratiâ *cùm ex tenuitate meâ parem referre nequeam,* Illuſtriſſimæ Dominationi Tuæ *me non tam vinctum quàm mille modis dum ſpiro, obſtrictiſsimū agnoſco. Fave igitur & vale* Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, *omnemq; morbū exitioſū cum Quartanâ à* TE *alieniſsimum, circuitum verò Quartanæ propriū venerandæ ætati* Tuæ *quadruplicandū exopto.*

Illuſtriſſ: & Reverendiſſ: Dominationis Tuæ

Obſequentiſsimus

JOANNES CONRADUS KREMER,
Medicinæ Baccalaureus.

DE FEBRE QVARTANA.

ASSERTIO PRIMA.

INter morbos intemperiei Principem facilè locum febris sibi vendicat: cujus licet manifesta sit cuivis denominatio, incognita tamen non paucis manet ejus essentia atq; origo, de quâ tùm Græci tùm Latini variè inter se decertârunt, quorum quidam febrim à verbo februo, nonnulli à ferveo, à feritate alij, eò quod sit fervor quidam seu ignea quædam totius corporis fervescentia, dici voluerunt; unde & Græci ἀπὸ τοῦ πῦρ quod ignem significat, πυρετὸν appellarunt, quibus significationibus febrim nihil aliud esse præter calorem n. in igneum mutatum sapienter decreverunt. Etymon.

II.

AT quàm facilè infimo etiam hominum generi est insultum febrilem annotare, tàm arduum tàmque difficile est perfectam ejus essentiam cognoscere, certam ejus speciem discernere, distinctas differentias eruere, ita ut non nisi exercitatissimus in re Medicâ de his verè gloriari possit. Hinc suppositâ generalissimâ febrium cognitione, specialiorem de Quartanâ doctrinam proponam, quæ dùm vulgò ludibrium Medicorum appellatur, eò ipso intricata ejus in cognoscendo obscuritas, & summa in curando indigitatur difficultas.

III.

EST autem Quartana febris putrida quarto quoque die recurrens ab humore excrementitio melancholico pn. vel extra vasa, ut in intermittente, vel intra ut in continuâ, collecto, & putredinem concipiente ortum habens. Dicitur Definitio.

primò

primò quòd ſit febris putrida quia oritur ab humore putreſcēte. Secundò ab humore melancholico excrementitio pn. ad excludendum alimentalem & naturalem. Tertiò, additur, quarto quoq; die recurrens ad oſtendendam naturam humoris & differentiam ab alijs febribus. Quartò denique dicitur, intra vel extra vaſa, ut indicetur locus putredinis.

I V.

DIVISIO. HIc autem humor melancholicus bipartitò finditur, unuſque in ſpecie ſic dicitur, quod ſit veluti ſanguinis limus, fœci vinorum craſſorum proportione reſpondens, temperamento proinde frigidus & ſiccus ex melancholiâ naturali per majorem aduſtionem genitus; Alter atrabilarius eſt dictus, ex bile flavâ diutius retentâ per majorem aduſtionem & incinerationem genitus, humori melancholico commiſtus, temperamento calido & ſicco ſubjecta ſit Quartanæ ſpuriæ materia. Nec diffitemur interim poſſe ſuboriri etiam Quartanam ex aduſtione phlegmatis maximè ſalſi; cruditates autem ventriculi aut erroris externi vitio progenitas & ab intemperie Epatis aduſtas, huic ſobolem præbere.

Gal. l. 2. de diff. febr.

V.

PRæter has duas melancholiæ ſpecies, nullam aliam admittendam duco; neque enim ſanguinem cum facundiſſimo Fen. neq; pituitam cum doctiſſimo Riolano in ejuſmodi humorem proximè tranſmutari poſſe ſtatuo; hic enim cùm ponticitatem, & ſtipticitatem & ariditatē aduſtione ſit confecutus, quomodo ſanguis qui temperatâ caliditate & humiditate eſt perfuſus, aut pituita quæ inviolatam ſemper reſervat albedinem, in teterrimum iſtum humorem, qui ab aliquibus pulvinar Diaboli dicitur, tranſmutari poſſit, non video. Atque ſic ſecundum has melancholiæ ſpecies, ipſa Quartana inde producta duplex aſtruitur, priorque legitima vera ſeu exquiſita; poſterior illegitima, ſpuria ſeu Notha appellatur.

l. 6. Phyſ. c. 11. Phyſ. ſect. 4. c. 14.

V I.

A CIRCUITU. ALtera quartanæ diviſio ſeu differentia deſumitur à circuitûs ordine: ſi enim quarto quoque die unus recurrat paroxyſmus, ſimplex Quartana vocatur, ſi duobus diebus

conſe-

confequenter affligat, tertio verò intermittat, Quartana duplex appellatur; quod fi fingulis diebus paroxyfmus redeat ut in tertianâ fimplici vel quotidiana; triplex Quartana dicitur. Huc referenda funt quintana, fextana, feptimana, quæque rariores habent periodos, dùm à decimo quinto in decimum quintum diem paroxyfmus transportatur, qualem fe vidiffe Gentilis gloriatur atq; fic febris omnis non tàm ex periodo quàm fimul etiam humore peccante æftimanda venit.

VII.

CAufas Quartana duplices agnofcit, unam internam externam alteram. Hæc vel eft Generans vel Commovens; Generans eft quæcunq; fuccum hunc vifcofum, tenacem & terreftrem accumulare folet, ut funt frequens crafforum, terrenorum, fale conditorum, infumatorumq; alimentorum ufus, qualis eft panis non fermentatus aut crufta panis tofta, caro leporina, cervina, caro item anatum, avium lacuftrium, paluftrium &c. Legumina item cafeus quivis, caftaneæ, nuces, &c. Hic accedit cerevifia craffa & antiqua, craffum item vinum & rubrum, acetum melancholiæ pabulum, alijq; fucci craffiores qui dum digeruntur multum fœcis deponunt, ita & hæc corpori immiffa à calore fubacta plurimum materiæ fœculentæ relinquunt. CAUSÆ PROCATARCTICÆ

VIII.

NOn exiguam etiam materiæ melancholicæ copiam fubminiftrat fomnus præcipuè meridianus; cum enim per agitationem corporis diurnam multæ foleant refolvi fuperfluitates craffæ, hæ per fomnum retentæ melancholiam accelerare folent. Non tamen quivis eft vituperandus fomnus meridianus, fed qui hifce quinq; ftipatus eft conditionibus, laudandus: Primò, ut fit confuetus, quia tefte Hipp: confueta longo tempore minus molefta effe folent: fecundò ne mox poft menfam ineatur: tertiò ne capite humili, declivi fiat & depreffo: quartò, ne per horas aliquot extendatur: quintò, ne ex eo fubita, repentina & terrifica fiat refufcitatio. 2. aph. 50.

IX.

INter commoventes caufas Autumnus numeratur; hic enim cùm inclinationem quandam cum humore melancholico habeat,

habeat, mirum non eſt, ſi tali potius quàm alio tempore Quartana concitari & regnare ſoleat, præſertim ſi calidam æſtatem humores adurentem excipiat. Huc referri poteſt ipſa regio cælique ſtatus frigidus & ſiccus, maximeq; ubi Saturnus mortalium interfector ſuas ſimul habeat influentias, ob quas cauſas

l. 2. febr. c. 20.

Witembergæ Quartanas Anno 16. fuiſſe Epidemicas & contagioſas Senn. aſſerit, ſimilemq; conſtitutionem hic Viennæ Anno 25. fuiſſe teſtantur Authores. Teſtatur idipſum Annus 52. proximè elapſus, quo Quartana in Viennenſes immaniter fuit debachata. Neq; etiam excludenda ſunt ipſa animi pathemata triſtitia præſertim & mœror, in quib⁹ perturbationibus ſpiritus ab habitu corporis ad cor lentè feruntur, ibiq; ut immobiles quaſi figuntur, atq; ſic craſſiorem & melancholicum ſanguinem reddũt.

X.

CAUSA INTERNA.

ANtecedentem cauſam ſuppeditat conſuetæ evacuationis humoris melancholici in quâvis ætate intermiſſio: Nec ulla ætas ab hoc humore ſe immunem dicere poteſt, quanquam conſiſtens aut declinans majorem in hunc humorem habeat propenſionem. Sed ne quis ab alimentis modo enumeratis planè abſtinendum putet, ſciendum: præter alimenta vitioſam etiam requiri totius corporis aut præcipuarum ejus par-

l. de bono & malo cibo c. Ult.

tium conſtitutionem, qualis eſt qui frigidâ aut ſiccâ partium intemperie laborant. Si enim intus ſimus malè diſpoſiti, ex optimis etiam cibis nil niſi ſuccus depravatus teſte Gal. elicietur.

X I.

CAUSA CONTINENS.

PRoxima verò & immediata Quartanæ cauſa eſt ipſum fœculentum, lutuoſum, craſſumque melancholicum excrementum circa lienem vel hypochondria ſiniſtra, vel ipſum præcipuè meſenterium collectum, hæc enim uti communis ſentinæ locus vel excipulus malorum nominatur, ita & præcipuum fomitis receptaculum ſtatuitur. Nec tamen humor iſte per ſe ad Quartanam producendam ſufficit, ſed putrilaginem quandam & alienam qualitatem acquirat neceſſe eſt: Hic enim diutiſſime in corpore noſtro latitare poteſt abſq; notabili tamen actionum læſione, ſed dum ſufficientes corruptivas acquiſivit vires, præter Quartanam diverſiſſimos periculoſiſſimoſq; producit

ducit affectus, quos Saturni Filias nominavit antiquitas. Si igitur hic humor è suâ quiete deturbetur, putrilaginem concipiat & cum eâ fermentum febrile, Quartanæ causa continens fit & si ab eo putridæ exhalationes cor petant & incidant quartanarij paroxysmi inducuntur.

X I I.

Cum quartana duplex astruatur unam ab alterâ sic discernere licet: Exquisita primò & per se nullâ febre antegressâ invadit, eosq; corripit qui humore melancholico abundant. Notha verò nunquam ab initio sed alijs febribus tam continuis & intermittentibus quàm Erraticis non integrè solutis succedere solet, quod item de quartanâ duplici & triplici intelligendum. Habet præterea multa signa cum tertianâ spuriâ conjuncta propter bilem flavam adustam & humori melancholico commistam, quare symptomata quàm exquisita habet vehementiora, sitim majorē, flaviores urinas &c. adde quod in hâc postridie accessionis ægri malè habeant propter relicta caloris vestigia quæ in exquisitâ plane difflantur. Prætereà cum non nisi secundum gradus intentionis à tertianâ spuriâ discrepet, eadem ferè signa habet eundemq; curandi modum quam dicta tertiana requirit. DIAGNOSIS.

X I I I.

Exquisita Quartana signis hisce sequentibus observatis clarius elucescit: præter periodos quatriduanas, quæ signum pathognomonicum quartanæ sunt, causæ melancholiam generantes modo dictæ vel præcesserunt vel sunt præsentes, quod tam ex ægri & adstantium relatu quàm ipso præsente temperamento mœsto, taciturno, sicco & macilento corporis habitu, colore nigricante licet observare: Quibus accedit ipsa invasio quæ cum oscitatione incipit & pandiculatione, quam horror initio levis excipit, qui paulatim ita augetur ut ipsa ossa infringi videantur. Fit autem horror si materia è loco & fomite putredinis derepente elevata sit crassior ut in quartanâ; si blandior ut in quotidianâ frigus percipitur; rigor verò si tenuis & acuta fuerit ut in tertianâ, differuntq; hæc tria intentione & remissione juxta materiæ dispositionē & causæ magnitudinē. *Gal. 2. de diff. feb. c. 5.* *Fern. de febr. c. 10.*

 Calor

XIV.

CAlor etiam qui paulatim ſuccenditur non ita æſtuoſus initio eſt quàm in tertianâ nec propterea in fine paroxyſmi ſudor ſubſequi ſolet, quia cùm ad eum requiratur materia tenuior, calidior, humidior corpuſq; poroſum & meatibus undiq; pervium, facilè contingit in diſpoſitionibus contrarijs in corpore ſcilicet denſo & conſtricto, in materiâ craſsâ, viſcidâ ſiccâ qualis in quartanæ initio reperitur, ut nullus ſubſequatur ſudor; quod ſi tamen materia ſucceſſu temporis atenuetur, copioſiſſimum quartanarij ſolent emittere ſudorem.

XV.

Gal. 1. *ad glauc. c.* 6. & 2. *de criſ. c.* 3.

PVlſus cùm ſit caloris index, certiſſimum ſuâ tarditate nobis exhibet quartanæ indicium; quantumcunq; enim cum calore intendatur, notabilem tamen & diſtinctam ab alijs febribus ſervat cum inæqualitate tarditatem. Vrinæ in principio albæ, tenues, & aquoſæ, in progreſſu verò craſſiores & coloratiores evadunt, dum materia coquitur & obſtructiones ſolvuntur. Sitis in hâc minor eſt quàm in tertianâ, major tamen quàm in quotidianâ, idemq; paroxyſmus nonnihil longior quàm in tertianâ: Quibus omnibus ſi affectus alicujus viſceris præcipuè lienis ſit adjunctus infallibilem dat quartanæ ſuſpicionem.

Gal: 2. *de criſ. c.* 10.

XVI.

PROGNOSIS.

1. *Epid. Comm.* 3. *p.* 3. *l.* 4. 5. *aph.* 70. & 6. *Epid. tex.* 7.

QVartanam omnium febrium longiſſimam eſſe, facillimam tamen & quantum in ſe eſt ſecuriſſimâm, atq; à multis magnis morbis vindicare aſſerit Hipp: Quartana laborantes magno morbo non capiuntur aut ſi capiantur & quartana ſupervenerit, liberantur. His verbis idem confirmat: Quicunq; quartanâ corripiuntur, rarò admodum convulſionibus tentantur, ſi verò prius tentati fuerint, ſuperveniente quartanâ liberantur. Idem etiam vulgus in ore habet. Quartana non facit campanam ſonare. Quod ſi tamen periculum quoddam conſequatur, non in quartanâ, ſed in aliquid eorum quæ extrinſecus adveniunt & in pravos viſcerum affectus ſchirros, obſtructioneſq; ſupervenientes referendum.

Quar-

XVII.

Quartana à succo melancholico longior est eâ quæ fit ab adustâ bile. Hæc enim si justa vitæ lex observetur & accomodata adhibeantur remedia, non aliter quàm tertiana Notha solvetur, quæ uti est brevissima, sic longissima quæ ex melancholiâ simplici; hinc quò quartana syncerior, eo longior. Brevissima ferè in tertium mensem producitur, alias in sextum, aliquando in annum aut ultrà si prava victus ratio accedat. Si uno solstitio non solvatur, alterum est expectandum. Hinc periculosior est quæ Autumno & Hyeme quàm quæ in æstate invadit: non enim solvitur nisi Vere propter aëris temperiem & sanguinis dominium quæ melancholiæ penitus contrariantur.

XVIII.

Qui sexagesimum ætatis annum superant si quartanâ corripiantur, raro evadunt, & magnâ ex parte hydropici moriuntur. Iuniores verò minus periclitantur nisi naturâ ad eam sint propensi; unde natum proverbium Quartanam juvenes quidem sanare, senes autem necare. Quod si eâdem horâ reincidat paroxysmus suumq; servet typum, difficilior erit febris, ob id vulgò etiam dicitur, benè sperandum ubi febris variè invadit. Quod si tam intra quàm extra accesſiones variorum humorum tam nigrorum quàm alborum per vomitum secessum & urinam cum insequente copioso sudore fiat evacuatio, laudabilis censetur crisis, pessima verò quæ fit per hæmorrhagiam narium, quæ vix unquam quartanam solvit quia symptomatica est & diu perseverans hydropem accersit.

4. aps. 43. & 1. aps. 62.

Crisis quæ in quartana laudanda.

8. aph. 3.

XIX.

Præcipuum Medici consilium ad causam eradicandam esse dirigendũ, optima suadet m. m. ratio. Hæc ergo cùm sit humor melãcholic⁹ excremẽtiti⁹ & putrescens, ut tollatur febris, evacuari desiderat; evacuari verò nequid nisi præparatus & dispositus. Præparabitur autẽ si crassities ejus aperientibus, incidentibus & attenuantibus incidatur & attenuetut: si frigiditas ejus & siccitas calefacientibus & humectantibus temperetur; (quia major indicationis vis desumitur ab humore quàm à febre quæ refrigerari; & humectari desiderat) præparabitur etiã si pu-

INDICATIONES.

tredo corrigatur & éradicetur, hinc idoneis medicamentis evacuetur; inanis autem & noxia est omnis humoris crudi & pertinacis eductio sine præparatione præmissâ. Miscenda igitur erunt calefacientibus & aperientibus humectantia vel modicè refrigerantia, ne dum crudos humores concoquere volumus, novi fervoris & acerbationis febrilis occasionem suppeditemus.

X X.

NEc minoris momenti est causas humoris hujus generatrices considerare, quæ si adsint, tollendæ; si pravam visceri cuidam qualitatem impresserint, quod ex colore totius faciei pallido ad nigredinem vergente, ex dolore sinistri hypochondrij cum tumore & renitentiâ ejusdem lateris, sputatione frequenti &c. conspicuum fiet, prospiciendum erit & emendandum. Lien igitur si obstructus sit, aperiendus; si intemperatus, alterandus: si imbecillis, roborandus; atq; si inquinamentum quoddā humores corrumpens adsit, tollendum est & eradicandum, tandemque per diuretica & sudorifica discutiendum. Virium etiama mxima est habenda ratio, ne cum morbus sit diuturnus, inter curandum æger exsolvatur.

X X I.

REMEDIA INDICATA.

HIsce indicationibus quibus sit satisfaciendum, tria medicinæ principia quàm exactissimè observata monstrabunt. Ac inprimis quidem cùm humor iste sit valde pertinax atque rebellis, nec tam mobilis ut in tertianâ bilis, blandis omnino medicamentis est aggrediendus: nisi enim antecedenter præparatus fuerit, à validis purgantibus initio exhibitis irritatur, irritatus autem ferocius exultat, & ex simplici duplicem aut triplicem quartanam imò & continuam non raro infert. Quare die intermissionis prima corporis regio lenienti

ENEMA.

Enemate erit evacuanda cum decocto Emolliente, cui Electuar. diacathol. ol lil. albor. & chamomel. cum saccharo rubro addi potest, ut autem natura inde stimuletur, salis parum admisceatur.

Quia

XXII.

QVia tamen plurimi verecundiâ ducti, clysmatum usum plane detestantur, medicamentum ore sumendum propinari potest, quod in liquidâ potius quàm solidâ formâ propter humoris siccitatem est administrandum. Optimè ergò conveniet infusum humori peccanti appropriatum, ex rad. polip. qr. mirob. indis, fol. senn. ss. sem. fœnic. Zeduar. quæ cum decocto cordiali vel aqu. fumariæ maneant infusa per N. Mane addatur syr. rosat. solut. cum elleb. aut syr. de pomis regis Zabor. Confectio Hamech licet sit appropriata, quia tamen ejus amarorem multi nauseant ejus loco syrupus alius aut manna el substitui potest. Malè igitur faciunt qui initio hujus morbi Emeticum absque præviâ dispositione propinant. PURGANTIA.

XXIII.

EVacuatâ nunc primâ corporis regione & ab humorum sarcinâ deoneratâ, beneficio Chirurgiæ sanguis die accessionis libero educatur, quia secund. Gal. in omnibus febribus putridis saluberrimum est mittere sanguinem &c. Vbi sanguinis effluentis natura diligentissimè est observanda, qui si tenuis ac flavus fuerit, immediatè comprimendus erit, sin crassior & impurus exierit, ad virium tollerantiam usque & sanguinis alterationem educendus. Eligatur autem vena sinistri brachij interna Basilica idque secuudum rectitudinem partium: usus verò salvatellæ tanquam superstitiosus reijciendus. CHIRURGIA. 11. *m.m.* 14

XXIV.

SIc etiam depletâ sanguinis quantitate, succurrendum naturæ, ut reliquum commodius superare possit. Ideò quia cum quartanâ clementer est agendum, initio leviora conveniunt, quare dentur juscula medicata pulli vel gallinæ quibus adjectæ sint herbæ & radices humorem concoquentes, crassitiem attenuantes, & obstructa reserantes, ut sunt rad. petros. asparag. eryngij, apij, fœnic. cum borrag. bugloss. hyssopo, thymo, &c. quibus aliquid cremoris tartari adyciatur, utaturque mane & serò ventriculo à cibo vacuo, quorum usus per aliquot dies continuandus ad fortiora paulatim progrediendo: cujusmodi sunt syr. de fumar. scolopend. stechad. artemis. Oximel. MATERIA REMEDIORUM. APERIENTIA.

Ellebor. Gesne. &c. quorum quædam cum aquis fumar. borrag. buglos. end. commista, in formam julapiorum concinnari possunt.

X X V.

NE tamen natura uni assuescat remedio ejusdemq; conatum eludat, interponendi sunt pulveres ex ⊖le tamarisci, fraxini &c. antimonium item diaphoreticum, Trochisci etiam de cappar. de absynthio cum Extracto centaurei min. gentianæ in pilulas redigi atque diebus intermissionis exhiberi possunt. Magnæ quoq; sunt activitatis pil. melanagogæ tartareæ Quercetani in pharmac. suâ restitutâ 9. descriptæ. Item

⊕LATORUM VSVS. pilulis ejusdem pharmac. 13. de sagapeno Camilli plurimum utilitatis attribui potest. Observandum tamen quod si formâ liquidâ quædam propinare sit animus, semper aliquid spiritus ⊕li ⊖lis vel essentia lapidis lazuli esse admiscendū, cum ⊕latorum tanta sit præstantia ut sine eorum usu tanquam inermis ad febrim oppugnandam quis accederet.

X X V I.

QUia verò præparata & cocta materia blando remediorum usu educi desiderat, nō inutile erit post prima morbi tempora syrupum magistralem spleneticum concinnare, quo sicuti ex unâ fideliâ duos dealbamus parietes, ita & uno eodemque remedio diversis intentionibus satisfaciamus. Fieri autē potest ex his vel similibus cuivis temperamento magis accomodatis v. g. ex aquâ fumar. & lupuli inquibus sæpius

MAGISTRALIA. extinguatur chalybs, adyciatur dein chalybs s. a. præparatus, cum passulis mund. & polip. qr. quæ ita maneant infusa per N. mane factâ colaturâ addantur rad. glycyrr. gram. aspar. fœnic. cum cortic. cappar. tumaris. fol. fumar. scolopond. cuscutæ, centaur. min. flor. borrag. buglosf. violar. tamaris. sem. IV. frig. major. dactilis, quæ omnia incoqui possunt & colari, tandem admisceatur rad. Elleb. nigri præpar. fol. senn. ff. Epithimi. cortex myrob. indor. citri. sem. fœnic. & zingiber. quæ omnia commista adhuc semel maneant infusa per N. Mane tandem factâ colaturâ addatur succus pomor. redolent. cum succo citri

& facchar.

& facchar. q. f. coquatur ut acquirat syrupi consistentiam, quo nunquam nisi die accessionis abstinendum.

X X V I I.

Ipso autem accessionis die dum paroxysmus imminere videbitur, in promptu sit Cortex rad. Chinachinæ quæ subtilissimè pulverisata in vino albo generoso per horas aliquot infusa maneat, quæ unà cum vino instante paroxysmo sumenda detur; si verò pulveres nausearet æger, solum vinum dilutum propinetur, cujus unicâ exhibitione miraculi instar febris hæc sublata fuit. Huic remedio non cedit radix aristolochiæ rotundæ subtiliss. pulverisata, quæ si per horas 24. cum vino albo generoso infusa fuerit in vase figuli vitreato, lentissimo igne bullire sinito, in cujus fine saccharum albissim. addatur; tandem exprimatur & coletur: De Colaturâ sumat ante paroxysmi invasionem ℥ 4. 5. vel 6. Cedit etiam febris hæc si ad initium paroxysmi panem è furno calentem accipias, ejusque in fundo rotundum feceris foramen & bonam quantitatem spiritus. vini infuderis, applica hunc supra umbilicum cum foramine quàm calidè sustinere poteris, retine usq; ad omnimodam intermissionem, hinc depone & sui devorandum præbe. SPECIFICA.

X X V I I I.

Ne tamen continuo medicamentorum usu nimium debilitetur natura, non inconveniens erit aliquantulum à medicamentis, absumpto syrupo magistrali, abstinere, interea verò temporis Emeticum aliquod propinare, ut, illud quod vi medicamentorum per partes infernas educi nequivit, per superiora Antimoniatis, ⊖le ⊕li, radice asari &c. educatur, Vomitum enim in quartanâ præstantissimum esse remedium, & non raro pertinaces quartanas per eum fuisse sublatas testantur Authores. Interea vires cùm diuturnitate morbi tum ipso vomitu dissipatæ restaurandæ sunt opiatâ vel alio medicamento corroborante & aperiente ut ex conservâ flor. borrag. salviæ, anthos. cum paluere diamarg. frig. diarrhod. abbal. ⊖le tamarisci, absynt. confect. alkerm. chalybe præparato, addito syr. EMETICA. *Chalybeatorum usus.*

con-

conveniente fiat Elect. de quo aliquid postprandium sumendum. Chalybeatorum usus etiam additur, quia præter alias obstructiones reserandas, insignem facultatem hæmorrhoides aperiendi obtinet, quarum fluxus hâç in curâ summè necessarius.

X X I X.

Diuretica.

AT çùm non solum in primâ corporis regione sed etiam in majoribus venis adsit serosorum & crudorum humorum copia, ut prima regio per alvum lenientibus, sic secunda & tertia per renes & vesicâ diu reticis commodè expurgatur; quodue materia per has vias educi possit, insignes arteriæ splenicæ quas lien numerosas habet, & ex quibus materia ad renes & vesiçam derivari potest, satis ostendunt; hinç in lienis affectibus non raro urinæ nigræ minguntur. Unde ne materia hæç in corpore retenta difficiliorem febris solutionem causet, vel per habitum corporis effusa scabiem, ulcera, arquatum, aliaque mala producat, neçessario diuretica erunt adhibenda. Licet eorum usus inter aperientia & præparantia nonnullus sit assignatus, prinçipaliora tamen quædam adhibere conducit, uti est decoctum Foresti cum duabus vel quinque rad. de succo limonum, & spiritu ⊕li, quibus nonnulla alia ex rad. & sempto convenientiâ patientis admisceri possunt.

X X X.

Diaphoretica.

ET quanquam humor melancholicus tam crassus sit ut sudore discuti non possit, tamen quia quartanarij sero abundant etiam natura hâc in parte juvanda, atque indeclinatione morbi, præsentibus jam coctionis signis, inquinamentum relictum etsi sit minimum, vi tamen est maximum & primarius paroxysmi reditus, quare diaphoreticis discutiendum, simul etiam membra longitudine morbi debilitata erunt roboranda, in quem finem tuto nunc adhiberi potest unâ alterâvé horâ ante paroxysmi invasionem usus Theriacæ cum aq. gentia. & cichor. cujus usus initio uti aliorum etiam sudorificorum est suspectus. Multum quoque præstat ipse pulvis Crollij febrifu-

brifugus cum dictis aquis vel ſolo etiam pulli juſculo exhibitus additis guttis aliquot miſturæ ſimplicis, quo remedio non ſemel pertinaces quartanæ ſunt ſublatæ.

XXXI.

COmmendantur quoque valde Extracta ſequentia in pilulas redacta, & ante paroxyſmi invaſionem aliquot exhibita, ut Extractum Caſtor. ligni Aloës compos. gentianæ, abſynthij cum quinta Theriacæ eſſentia. Quod ſi carpis manuum quædam appplicentur, id potius ad calorem contemperandum quam ad diſcutiendũ miaſma relictum fieri exiſtimo. Sileat ergo Pedemontanus cum ſuis nugamentis lib: 1. quem de ſecretis intitulat, cùm ſolâ fol. |ſalviæ, rutæ, burſæ paſtor. in aceto maçeratorum in carpis applicatione febres quartanas ſolvi, nullumq; faiclius certiuſque remediũ illo haberi poſſe ſcribat, hujus enim falſitatem experientia demonſtrat.

XXXII.

VErum cùm horror quartanarijs ſit moleſtiſſimus, ut oſſa ipſa nonnunquam, ut dictum, confringi videantur, merito & hic naturæ ſuccurrendum, quod fiet ſi ante febrilem inſultum cervix, collum, & ſpina dorſi aliquot ol. calidis non tam ad ignē quàm manibus calide inungantur, qualia ſunt ol. anethin. chamom. coſtin. laurin. irinũ, caſtorei, rutæ & antifebrifugum. Nec propterea approbanda eſt eorum ſententia, qui ut patienti gratificentur, Narcotica adhibenda ducunt, quibus licet facultatem Expultricem ſopiant, paroxyſmum inſtantem retardent, materiæ & naturæ motum inhibeant, graviſſimum tamen patienti accerſunt damnum, dum materiâ intus retentâ, per paroxyſmum verò nonnihil agitata atque diſcuſſa, graviores periculoſioreſque inducit affectus. NARCOTICORVM IMPROBATIO.

XXXIII.

HÆc dum adminiſtrantur, maximâ quoque viſerum præcipuè lienis habenda eſt ratio; quod ſi quædam percipiatur gravitas in hypochondrijs aut renitentia EXTERNA.

C obſtru-

obſtructionis index præſcribatur fotus ſeuEpithema ex rad.herbis & ſem. modo dictis, quibus emollientia nonnulla admiſceantur ex rad. altheæ, lil. albor. fol. maluæ, violar. &c. ſem. lini, ſumm. anethi flor. chamom. &c. in aquâ coctis, duobus ſacculis incluſis, alternatim tepidè applicetur. Poſt hujus uſum pars effecta inungatur unguento ex ol. de Cappar. lilior. chamom. abſynt. cum ammoniaco aceto ſoluto. Hiſce peractis ſuperponatur Empl. de Cicutâ, cujus mirabilis in obſtructionibus reſerandis eſt virtus. Huic præfertur Empl. contra quartanam Helmontij, quod extenſum ſupra alutam regioni lienis applicatur.

XXXIV.

DIÆTA. ET quia maxima curationis pars in legitimâ ſex rerum NN. adminiſtratione conſiſtit, ſine quâ irrita nonnunquam eſt omnis curatio, proba victus ratio inſtituatur. Sit igitur cibus Euchymus quique adverſetur humori ex quo *Gal.* 1. *ad* genita eſt melancholia, qui obſtructionibus reſiſtat, vim atte- *Glauc.c.*11. nuandi & humectandi habeat: quare fugienda ſunt omnia paulò ante enumerata, præferantur verò ova ſorbilia recenter excluſa, pulli,gallinæ, perdices, piſces ſaxatiles; condiantur cibi flor. borrag. buglos. rad. petros. ſummit. fœnic. cappar. 1. *aph.* 10. croco & cinam. In uno paſtu à varijs cibis abſtineat, nihil enim æque cruditates quàm ciborum varietas gignit. Quantitas cibi initio non ſit tenuis ſed paulò plenior, ut poſsit æger 1. *aph.* 8. propter diuturnitatem morbi ad ſtatum pervenire: accedente verò ſtatu paulò tenuior ſubminiſtretur, ne natura plus cum cibo quàm cum morbo ſit occupata.

XXXV.

QUo autem die febris affligit, nihil cibi ſumendum, niſi 1. *aph.* 11. ubi febris declinaverit, aut ſi quid dari corporis neceſsitas exigit, id ſit perexiguum, & liquidum, acceſsionemque quatuor aut ſex horas præcedat. Si verò quid ante vel in paroxyſmo præbeatur, non corpori ſed febri dat alimentum: hinc

hinc vacuato reperto ventriculo, ipſe paroxyſmus humorumque efferveſcentia minori cum difficultate ægrum affligent. Pro potu utatur vino albo, tenui, oligophoro, cui ſemper aliquid Spiritus ⊕li aut ⊖lis admiſceri poſſunt: Vel utatur cereviſiâ tenui, cui infuſa ſint flores ſalviæ, roriſmarini &c. vel decocto ex paſſul. Cinam. fœnic. Potus etiam ſit exiguus in paſtu, extra quem omnis eſt fugiendus. Vitentur ſolitudo, mœſtitia, modis omnibus concilietur hilaritas jocis, confabulationibus, exercitijs moderatis &c. Quæ omniá ad crudorum humorum concoctionem faicunt & febris extirpationem.